



[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



5

IN NOMINE JESU!
EXERCITATIONUM POLITICARUM

DISPUTATIO XIV.

de

OFFICIALIBUS

QUAM
PRÆSES

M. JOHANNES Deutschman

Fac:Phil:Adj:

ET RESPONDENS

HEINRICUS BAUMANNUS Torgensis

Alumnus Electoralis.

proponent publicè

Ad d. Febr.

Horis Matutinis.

WITTEBERGÆ.

Typis JOH ANNIS BORCKARDTI.

ANNO 1655-



V I R O
AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO, DOCTISSIMO,
Dn. JOHANNI FISCHERO

Sereniss: Elect: Saxon: Quæsturæ apud Torgenses
Præfecto Dignissimo,

NEC NON
V I R I S

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
SPECTATISSIMIS,
DN NN.

COSS. JUDIC. SYNDICO. ET SE-

NATORIBUS INCLUTÆ REIPUBLICÆ, quæ

Torgæ est gravissimis,

JUXTA ATQUE

V I R O

SPECTATISSIMO, PRUDENTISSIMO, POLITISSIMO,
Dn. GABRIELI RICHTERO

Sereniss: Elect: Saxon: in Quæstura Torgensi Redituum
Præfecto Dexterrimo,

*Dominis Patronis, Promotoribus, & Evergetis suis, perpe-
tuo reverentiæ & observantiæ cultu humillimè
devenerandis*

Hoc Exercitium Academico-Politicum

*In debite gratitudinis Symbolum, & ulterioris benevolentia
suscitabulum, consuetâ Romanorum formula*

Ex voto suscepto Lubens meritoq;

D. D. D.

Eorum Beneficiarius & Cliens humillimus

HEINRICUS BAUMANNUS.

Ad munus publicum nemo, nisi exploratus, admittendus, prudentissimum est, Platonis l. 3. de Republ. consilium, saluberrimum antiquissimi Philosophi monitum. Res n. publica certis indiget instrumentis | multasq; ad status sui felicitatem requirit personas. Nulla in civitate floret familia, nec ullam debitam meretur laudem collegium nisi certos habeant præsides, certas itidem his subordinatas partes. Quod de partibus dicitur, | de toto facile colligitur. Res, quæ vocatur, publica personis ornatur, personis armatur. Personæ sunt, quæ publicam Rem constituunt, & publica negotia expediunt, Cum n. in imperio rerum variæ sint differentiæ, varia in eodem etiam occurrunt officia, quorum quæ publica sunt, privatis merito videntur anteferenda. Publicus a. horum officiorum cum sit status, publicæ etiam ad ea requiruntur personæ, | quæ ob hanc objecti sui naturam *officialium* titulo notantur. Horum ut magnus in publicâ re, publicisq; negotijs usus est, ita non perdit operam, qui ex politicarum præceptionum prudentissima doctrinâ, eorum naturam paulo accuratius investigat. Hæc impræsentiarum nostræ disputationis, sic meta. DEUS ANNUE COEPTIS,

I Haftenus de *majestate ipsâ* egimus, jam sequuntur *Majestatis instrumenta*, quæ sunt cum *officiales*, cum *leges de officialibus* h. l. Ut a. futura de officialibus tractatio convenientem observet methodum, principium non sine autoritate adducimus. Verissimum n. est illud *Ciceronis* præceptum, quod *offic. l. i.* proponit: *Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur.* Nos igitur hanc antiquissimam methodum non negligimus, sed à *definitione* lexordium hujus disputationis facimus.

2. Cum a. definitio ex Aristotilis, aliorumq; Philo-
phorum iudicio duplex sit, *Nominalis & Realis*, neutram
omittimus; sed utramq; tractationi nostræ inserimus.
Nomina n. sunt signa rerum, earumq; non incongrua
vehicula, quia nos ad ipsarum rerum cognitionem dedu-
cunt, hinc Medicorum Princeps *Galenus de meth. medendie. c. f.*
nomina rerum principia vocare non dubitat. *Principium in-*
quit in omni disputatione & re est nomen Hoc igitur principium
breviter consuetâ methodo resolvimus.

3. *Officialis* quoad *paronymiam* dicitur ab officio, sicut arti-
ficialis; ab artificio. *Officium* a. h. l. in politicis certam re-
rum publicarum & negotiorum civilium administratio-
nem designat. Unde vi appellationis *officialis* nihil aliud
sunt, quam personæ in rerum publicarum administratio-
ne occupatæ. Quoad *Homonymiam* vox *officialis* sumitur
(1.) *Generalissime* pro persona quacumq; ad officium cer-
tum expediendum destinata, sive publicum illud sit sive
privatum. (2.) *Speciatim in sensu Politico*, pro persona publica,
publicis officiis ex publica autoritate adscripta. (3.) *Specia-*
lissime in sensu proprio, quando hoc vocabulum peculiari ti-
tulo ad aliquod officium restringitur. Sic inspector rerum
Ecclesiasticarum Inferioris Lusatiz *officialis* nuncupatur.
Idem etiam in certis officiis politicis sæpius usu venire solet:
Media significatio est h. l. Quoad *Synonymiam* dicuntur of-
ficiales *Magistratus*, *Magistratus inferiores*, *summa majestatis*
vicarij, *instrumenta*, *media*, *Ministri* &c.

4. Nominis resolutionem excipit *rei definitio*. Est a. of-
ficialis persona, à summa Majestate ad res vel publicè, vel pri-
vatim ad salutem Reipublice gerendas constituta. De quaestione
An sit ut prolixè afferamus verba, non videtur esse necessum,
eum vix ullum hic habere que amicus adversarium, & pu-
blicarum rerum copia tales sibi postulet *officiales*, quos in
omni.

omnibus civitatibus exstare docet experientia. Nec floret illa Respublica, aut fiorere potest, quæ prudentibus rectoribus, fidelibusq; officialibus est destituta, cum officialium sit, in statu suo florenti Rempublicam conservare, eamq; ex legum præscripto gubernare.

5. *Definitio* constat genere, quod est *persona*: Ubi hoc observatu dignum est, quod vocabulum personæ non *in sensu absoluto* sit accipiendum. Non enim hic officiales ut homines consideramus, in esse suo Physico, sic alius disciplinæ fiunt objectum, nec ad forum pertinent Politicum. Non equidem negamus requisita hominis, & præ aliis animalibus concessa eidem privilegia, ad horum officiorum administrationem, & feliciorum rerum gerendarum expeditionem maximè esse necessaria, ea tamen à Politico præsupponuntur, non vero directè & immediatè ab eodem proponuntur & exponuntur; sed vox Personæ *relativum* hic sortitur & *politicum* statum, quatenus est summæ potestatis instrumentum, Reip. feliciter administrandæ medium, rerum gerendarum subsidium, & salutis publicæ nec exigium nec ultimum adjumentum. Ut igitur summa Majestas persona est, quæ supremam in Rep. constituit caput, cives etiam sunt veræ personæ, & ultimum sortiuntur in imperio locum, ita pariter officiales personæ nomen non respuunt, utpote, quæ inter illum & hos medias partes absolvunt.

6. Et *differentiâ*, quæ à *causis* est de sumpta. Causa hic allegatur. *i. efficiens*. Hæc *Summa majestas* appellatur. Indicat hujus causæ Efficientis veritatem nota characteristica, quæ a Philosophis Efficienti tribuitur. Nam Officiales dicuntur *a summa majestate*, A vero Causæ Efficientis est proprium. Esse autem Officiales à summâ Majestate *primum*, ex eo suum habet fundamentum, quia sunt instrumenta summæ Majestatis. Instrumenta autem causæ suæ principali subordinantur, & in verò causandi respectu, ab eadem, suam su-

munt dependentiam. *Deinde* si experientiam, omnium rerum Magistrum, & non odscuram veritatis testem consulere placeat, certe in omnibus Rebus publicis Officiales à summa potestate derivari deprehendimus. *Nec aliud porro* infert Potestas summa; si enim summa est, alias sibi subordinat inferiores, cum præter hoc superioritatis suæ statum habere nequeat. *Deniq;* Officiales cum non omnem habeant potestatem, sed certam, nec in omnibus, sed in rebus saltem præscriptis suam potestatem exerceant, non possunt ad aliam superiorem tanquam se priorem non referri.

7. Nihil autem huic potestati Officialium decedit, sive *immediatè* à summa Majestate suam accipiant potestatem, quod sæpius fieri solet, sive *mediatè*, mediantibus certis instrumentis aut vicariis eadem ipsis conferatur. Sive enim mediata sit sive immediata potestas, si modò vera sit, & verè à summa derivata, suam habet laudem, debitamq; obtinet auctoritatem. Præterea neq; hoc notabilem affert differentiam, si alius *verbis* à Rege, & Principe præsentem, alii *Rescriptis*, ab absente Majestate officiis præficiantur, cum utrobq; sit voluntatis Regiæ testimonium, & certissimum collatæ potestatis argumentum.

8. Excludimus hic eos, qui contra voluntatem Majestatis Rempubl. invadunt. Ut enim omnis contrarietas est periculosa, ita ejusmodi invasio non exiguum Imperio portendit periculum. Tales sunt, qui in seditionibus arma capiunt, seiplos officiis præficiunt & multos tumultus ad Reipublicæ perniciem suscipiunt. II. Qui Magistratum in officiis temporariis & permutatoriis ultra destinatum tempus contra superiorum consensum retinent, nisi summum civitatis periculum avertant, & salutem summè promoveant. Non raro enim præsertim in bellicis apparatibus talis permutatio est periculosa. Illustre hujus rei exemplum annotavit *Nepos in Epaminonda*: Nam cum huic ob
adver-

adversariorum invidiam unà cum collegis imperium ad-
versus Lacedæmonios esset abrogatum, atq; in eorum locum
alii prætores successissent, Epaminondas plebiscito non
apparuit, idemq; ut facerent persuasit collegis, & bellum,
quod susceperat, gessit. — Namq; animadvertēbat, ubi id
fecisset, totum Exercitum propter Prætorum impruden-
tiam, inscitiamq; belli periturum. Lex quidem erat
Thebis, quæ morte multabat, si quis imperium diutius re-
tinuisset, quàm lege præfinitum foret. Hanc Epami-
nondas cum Reipublicæ conservandæ causâ latam videret
ad perniciem civitatis conferre noluit, & quatuor mensi-
bus diutius, quam populus iusserat, imperium gessit.
Et licet postea capitis esset accusatus tamen maximâ cum
gloriâ à capitis iudicio discessit, sicut ista omnia prolixè lau-
datus Autor describit. III. Qui præter voluntatem Ma-
jestatis, & Reipublicæ salutem ab his, iisque prohibitis modis,
vulpinis potissimum fraudibus officiorum administratio-
nem arripiunt, Unde tritum illud non inconcinnum est, nec
leoninam violentiam, nec vulpinam fraudulentiam in in-
gressu adhibendam esse.

9. II. *Materialis*: Materia autem sunt *Res* Ubi notandum,
quod vox *Rei* h. l. non sumatur *specialiter*, quatenus *Personis*
& *Actionibus* contradistinguitur: quo respectu tria dicun-
tur esse iuris objecta, *Personæ Res* & *Actiones*: sed *Generaliter*
quatenus omnia hæc tria concludere suo significato intelli-
gitur. Sæpius enim contingit, ut officium aliquod Poli-
ticum magis respiciat *Personas*, itemq; *Actiones*, quàm
Res, quæ strictâ significatione ita dicuntur. Undè nomine
alias dicuntur *officia*, in quibus administrandis communi-
ter occupati sunt *officiales*, unde etiam suam acceperunt
appellationem.

10. III. *Formalis*. Consistit autem forma in illâ constitu-
tione, unde dicitur in descriptione, quod *Officialis à summâ*
Majestâ

Majestate constituatur. Hanc veram esse formam, patet non tantum *ex nomine*, quia Officialis dicitur, qui actu officio fungitur, & à summò Magistratu hac potestate instruitur, ut res imperii ex publica auctoritate in posterum administrare queat. Et *Synonymicis appellationibus*, dum dicitur *instrumentum summae Majestatis*, jam autem instrumenti natura tota conspicitur in eo, ut causæ principali sub ordinetur; Item *Medium*, cujus itidem significatio est respectiva, & revera perpetuum, cum medium necessariò alicujus sit medium, habet respectum: Sed etiam *ex rei ipsius conditione*: Nam Respublica ordo est & unum ab alterò dependet, ordinata igitur membra inferiora per ordinationem & ad superius relationem esse suum accipiunt,

11. In hac constitutione ut summa Potestas binis utatur oculis, est summe necessarium. Altero considerat Officialis futuri, *requisita* alterò verò determinet laboris hujus *privilegia*. Si prioris adsit defectus malè prospicit tum *sibi*, quia tales rerum suarum & bonorum publicorum constituit curatores, quorum usus potius est perniciosus quam fructuosus. Et cum officiales sint principis instrumenta, tales sibi bonus Rex eligit magistratus intermedios, quorum ductu felicitatem suam quotidie augere, & constanter tueri queat. Tum *Patria*; quia corpori ægrotò vel ad morbum facile prodivi malos adhibet medicos, qui non tam sanant, quam vastant, non erigunt, sed destruunt: Tum *civibus*, quibus duces eligit pessimos & ad hanc rem penitus ineptos: tum *ipsis Officialibus*, quibus majora committit, quam ut ferre queant. Non omnes omnia possunt.

12. *Requisita* autem futuri Officialis sunt, alia *Officij*, alia *personæ*. Officij requisita varia iterum solent afferri. Nos dicimus breviter, quod aliud sit *Generale*, nimirum
[1.] *Status*

(1.) *Status publici, legumq; publicarum notitia.* Utenim turpe est, membrum haberi Societatis, ejusq; societatis ignorare fundamenta & statuta: Sic majorem is turpitudinem incurrit, qui aliis præesse cupit, & hac culpabili laborat ignorantia. Cum enim quotidie in rerum administratione, officijq; partibus expediendis multa occurrant dubia, multam hæc status publici notitia offert his dubiis lucem, cum vix à scopo aberrare queamus, si ipsum fundamentum diligenter attendamus. Assidua enim legum fundamentalium meditatio statusq; publici quotidiana consideratio facile rationem dubia solvendi suppeditat. (2.) *Necessaria in officij partibus absolvendis prudentia.* Nuda enim notitia non omnem absolvit rerum tractandarum classem, sed ipsa etiam praxis & applicatio requiritur. Et præprimis cum ipsa Politica sit prudentia, nemo verè politicus esse potest, nisi viri prudentis nomen tueri queat. (3.) *Amor tum erga patriam,* cui omnem suam debet vitam, cui omnia quoq; debet officia vitæq; actiones: tum *erga summum Magistratum,* à quò omnem accepit honorem, & auctoritatem, cujus etiam minister est & instrumentum: tum *erga æquales & Collegas suos,* ne ex dissidio Magistratum patria non nihil capiat detrimenti: tum *erga inferiores & cives,* quibus ipse est præfectus, ut eos feliciter ad Reipublicæ salutem gubernaret. (4.) *Indigenatus,* ut enim priora requisita eò sint faciliora & certiora, hoc etiam Politici adjiciunt requisitum. Facilius enim indigena status publici tum notitiam, tum prudentiam in his, quæ publicum concernunt statum, comparat, & longe constantiori amore suos amplectitur cives quàm peregrinus. Hic enim ut ex alieno solò est oriundus, ita plerumq; etiam alienum, à patria, à Magistratibus & à civibus gerit animum, potiusq; suam, quam publicam quarit utilitatem. Plura aliorum requisita hic brevitatis causa omittimus.

B

15. Speciale

15 *Speciale requisitum unicum tantum modo hic allegamus: nimirum prudentissimam objecti officialis Praxin.* Mentio fit objecti Officialis, cum nullum sit officium, quod non peculiare aliquod concernat objectum. Sicut igitur officialis, certo plerumq; officio praeficitur; ita hoc potissimum objectum tractare atq; excolere debet. Unum enim est necessarium: HOC AGE Et ut pluribus intentus minor est ad singula sensus: ita qui unicum officii sui objectum negligit, satis officio suo non facit. Deinde praesupponitur etiam hic exquisita hujus objecti notitia, cum non tantum praxis quævis notitiam praemittat, siquidem ignoti ut nulla cupido, ita in ignotum nulla suscipitur operatio, sed etiam prudentia sine accuratâ tum antecedentium, tum circumstantiarum, tum futurorum eventuum cognitione & collatione consistere haud queat. Et demum ultimam addit manum prudentissima illa praxis, quæ in verò Politicò est necessaria. Politica Practicæ Philosophiæ pars est; praxin igitur respicit, ad praxin tendit, & eo omnia sua tum præcepta tum consilia dirigit: Politicus igitur verus hanc praxin negligere neq; potest, neq; debet.

16. *Requisita Persona plurima à Politicis solent allegari. Nos non omnia, sed paucissima nostra facimus, Primum requisitum est Pietas.* Hæc enim ut omnium virtutum est fundamentum, ita necessarium est & primarium rerum gerendarum instrumentum, Cum Pietate omnia vigent, sine pietate cuncta langvent. Et cum Deus sit summus rerum tam publicarum quam privatarum moderator, à quo singula dependent, unicum Dei hominumq; vinculum Pietas esse dicitur. Hæc enim Deum respicit, Deum colit, à Deo omnia veræ felicitatis momenta trahit. Communiter quidem fieri convevit, ut rari inveniantur pii Politici secundum illud: *Exeat aulâ qui volet esse pius.* Nam dum hominibus inservire student, divini cultus obliviscuntur, Sed genuini Officiales
pieta-

pietatem omnium virtutum caput esse censent, nec malè.
Officium enim, quod gerunt, divinum est; officium quod
acceperunt, à Deo est, Officium quod administrant, circa Dei
creaturas & Dei bona versatur, ut hac de causa nihil aliud
sint, quam Oeconomi & bonorum divinitus concessorum
administratores. Alterum est *Probitas*. Utenim Pietas De-
um respicit, ita probitate Officialis suam ipsius vitam diri-
git. Mali enim sunt administratores qui potius alios, quam
seipos vel dirigunt vel corrigunt: quilibet sibi ipsi proxi-
mus est, ut igitur probitatis studio suam ipsius vitam prius
ornet, illud est necessum. Non enim potest feliciter aliis
præesse & publica dirigere, qui nec se, nec mores suos audeat
corrigere. Tertium est *Æquitas*. Hæc erga proximum &
quosvis subditos, aut etiam erga extraneos instructi sint vir-
tute Officiales. Illud enim ex naturæ beneficio nobis con-
natum est principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*
Hoc si perpetuam mentis agitationem considerant Officiales,
non possunt non aliis benè præesse.

17. *Privilegia* quod concernit ea meritò Officialibus sunt
concedenda. Neq; enim diuturnus solet esse status, qui om-
nibus caret privilegiis, cum hæc quædam quasi vincula sint
diuturnitatis. Privilegia ubi sunt, maxima ibi sunt incitame-
ta, illud v., quod privilegiis caret, laboris onus nemo app-
ere solet. Nec aliud Officialium postulat autoritas: illi e-
nim cum in conspicuò & non exiguo eminentiæ statu sint
positi, jure quodam suo sibi certa postulant privilegia, ut fir-
ma sit eorum autoritas & constans maneat ipsorum digni-
tas. Autoritas ubi non est, contemptus suam occupat se-
dem: officiales autem si contemptui sint expositi, neq; of-
ficio suo Republicæ possunt prodesse, neq; subditis cum
fructu præesse.

18. *Privilegia* hic non omnia conquirimus, sed tria sal-
tem breviter allegamus Primum est *Honoris dignitas*. Ipse e-

nim Deus supremus legislator in'quartô Decalogi præceptô non tantum Parentes naturales & Privatos sed etiam civiles atq; publicos communi interpretum consensu honorare jussit, non vulgari adjectâ promissione. Ut sis longævus super terram. Neq; lex naturæ hic sua nobis negavit argumenta, cum illud nemini ignotum sit statutum, Magistratus esse honorandos: Imo in brutis animalibus reliquit exempla, ut brutis deteriores sint, qui Magistratus debito spoliare honore conantur. Præterea commune gentium jus & consuetudo ab omnibus recepta, & omnia alia jura nihil aliud svadent, nec aliud res ipsa postulat. Officiales sunt summæ Majestatis legati, summi Magistratus vicarii, debitô igitur honore sunt digni. Deniq; ipsa honoris descriptio idem evincit. Describitur enim honor, quòd sit dignitas, quæ à viro prudente & virtuosô per certa signa magnâ cum reverentiâ exhibetur illi, qui multis meritis atq; excellenti virtute in Republicâ fulget. Nemo autem ignorat fideles officiales multis meritis & excellenti virtute in Republicâ fulgere, unde non possunt non esse legitimum veri honoris subiectum.

19. Secundum *Onerum immunitas*. Onera hic n. intelligimus ea, quæ ipsi officiô sunt connexa: talia enim qui fugit, suo deest officio, adeoq; est officialis Non-Officialis: Officialis nomine & titulo, Non-officialis re & factio, Nec levia sunt, ut vulgus judicat, officialium onera, sed labore plenissima, & quantum publicum superat privatum, eò graviora sunt publica privatis onera. Sed per onera intelligimus Contributiones militares, hospitaliones, & alias exactiones. Officiales autem intelligimus hic non tam honorarios & nominales quam ipso actu & officiô tales. Hi enim cum omnem suam operam publicæ rei impendant, non possunt privatas res curare, privatorum oneribus vacare, & ita simul publicis atq; privatis onerari. Undè in benè constitutis regis & Rebus publicis omninò officiales ab ejus modi oneribus præstandis privilegiis eximuntur.

20, Ter-

20. Tertium est *Stipendiorum Liberalitas*. Nam inter laborem & compensationem ex vigore justitiæ æqualis debet esse proportio: Cum autem labor ille publicorum officiorum non sit exiguus, iusta officialibus constituenda sunt stipendia, ut æquitatis habeatur ratio. Nec aliud splendor officii & dignitas personæ requirit. Cum enim vitam debeat agere officio dignam, non potest id sine certò præstare salariò. Et quia nihil magis auctoritatem Officialium aliorumq; Magistratum debilitat, quam sordida vita, utiq; salariis hic opus est, ut honestam vitam in honestò officio constituti agere queant. Privatas suas res ob publica negotia & quotidiana impedimenta curare nequeunt, de publicò igitur ut vivant necessum est. Privatus familiæ pater ex privatis suis redditibus suos alit, cum quotidie privata negotia tractet: publicus igitur Reipublicæ vel Pater vel minister non potest aliundè sibi quicquam nisi ex laborum suorum, hoc est publicorum remuneratione, promittere.

21. Deniq; in definitione allegatur *Finis*, qui duplex est, *internus & externus*. *Internus* exprimitur verbis: *Ad res vel publice vel privatim gerendas*. Hic finis & scopus est Officialium, non otium, sed negotium; res enim gerere debent, ex quo etiam *Officiales* sunt appellati. Et si summa Majestas vel Princeps omnibus rebus sufficeret, his instrumentis non indigeret: Cum autem unus omnibus negotiis satisfacere nequeat, propterea officialibus hic est opus. Summa est rerum officiorumq; in Republica varietas, summa etiam ipsorum laborum difficultas, quorum pleriq; totum requirunt hominem, unde ut rerum negotiorumq; omnium administratio debitò fiat tempore, conveniente ordine & loco, Officiales sunt introducti. Illi igitur, qui titulò tenus sunt officiales, & circa nullius rei administrationem versantur, hoc interno destituuntur fine, adeoq; hoc in casu non propriè sed æquivocè sunt officiales. Illi pariter, qui solliciti sunt studio, & res non tam gerunt, quam negligunt, suo non faciunt satis officio. Ad res gerendas non negligendas à summo Magistratu sunt constituti.

23. *Externus finis* notatur reliquis verbis: *Ad Salutem Reipublicæ*. Salus enim Reipublicæ ut secundum illud Romanorum suprema lex est, ita supremus in Politicâ finis est. Ab eadem omnia derivantur, ad eandem omnia referuntur. Summa Majestas hanc salutem respicit, eadem sua instrumenta, h. est Officiales ad hanc metam dirigit. Male igitur suo præsumunt officio, qui magis Reipublicæ perniciem, quam ejusdem salutem quærunt: qui potius, Salutem rei privatæ, quam publicæ respiciunt.

24. Definitionem excipit *Divisio*. Dividuntur autem officiales in *Ordinarios & Extraordinarios*. Nam cum objecta alia sint perpetua & quotidiana, alia rara & extraordinaria, ideo respectu objectorum distinguuntur officia, & pro Officiorum varietate ipsi etiam Officiales dividuntur. Hanc autem divisionem legitimam esse patet ex eo, quia constat ex membris immediatè oppositis, ita tamen ut & ordinarii sint veri officiales, quod nemo negare potest, & extraordinarii hoc titulò non sint spoliandi, cum itidem certo præficiantur officio, & ad res gerendas à summò Magistratu adhibeantur.

25. *Ordinarii sunt, quorum officia legibus sunt definita*. *Ordinarii* vocantur, quia certum in Republicâ sortiuntur ordinem, eundemq; perpetuo servant. Et objectum etiam cum officio verè ordinarium est, unde eodem & ipsi ordinarii vocantur. Officia autem ipsorum dicuntur legibus definita partim *propter necessitatem*, quia talia officia in civitate sunt necessaria, necis carere potest Republica - partim *propter Perpetuitatem*, quia sunt perpetua, & non possunt modo cessare, modo salutem Reipublicæ inservire, sed cum necessario semper ad sint in Republicâ, legibus etiam definiuntur: partim *propter quotidianam utilitatem*, quia insignis ipsorum usus singulis diebus conspicitur, qui propterea etiam certis personis ex legum voluntate committitur.

26. *Ordinarii dividuntur in Eos, qui consilio & qui auxilio profun-*

*profunt Reipublice. Illi communi nomine Consiliarij vel Senatores, hi vero Magistratus appellantur. Cum enim in Rebus publicis & negotiis civilibus summa opus sit prudentia, & diuturnâ deliberatione, siquidem hic valorem habet illud vulgatum: *Diu deliberandum est, quod statuendum est semel*; ideo necessitas & publicarum rerum utilitas efflagitat, ut ad sint viri prudentiâ & consiliô pleni, qui salutaria publicis negotiis consilia suppeditare queant. Quia vero deliberatio sine executione foret frustranea, cum hæc illius sit finis, siquidem stultorum est ea deliberatio, quæ nunquam deducitur in actum, ideo aliis etiam opus est ministris executoribus, qui vocantur *Magistratus*.*

26. *Consiliarij sunt Officiales Ordinarij, qui habent consentiendi decernendiq; facultatem. Tanta autem Bonorum Consiliariorum vel necessitas vel utilitas est, ut iis Respublica integra carere nequeat. Hinc Bapt. Fulg. l. 7. refert, quod Horatius Senator Romanus optare sit solitus, potius malum principem, qui bonos haberet consiliarios ac amicos, quàm bonum, qui malos haberet consiliarios, quibus rerum administrationem committeret. Putabat enim facilius, ut à multis bonis unus malus ad saniora duceretur, quàm ut ab unô bonô multi à malitia averterentur.*

27. *Dicitur autem in descriptione, quod consilarii sint Officiales cum in omni sua deliberatione à summô Magistratu dependeant non quidem quoad deliberandi modum, sed quoad deliberandi potestatem. Hi enim nisi à summâ maiestate hanc facultatem acciperent publicè, de publicis rebus consultare nec possent, nec deberent. Et cum à Principe dependeant consilarii, multa ejus circa consiliarios officia recenset Pretorius in Phil. Pract. p. 338. Principis officium inquit quoad Consiliarios & consiliū est (1.) ut idoneos virtute & experientia præditos eligat (2.) Ne nimium multos: fieri enim facile potest, ut non omnes sint virtute præditi (3.) Rem deliberandam mature*

ture adducat (4.) In explicandis sententiis ne nimium festinet, ni-
se periculum in mora. (5.) Non sententia sua praeat consiliariis. (6.) O-
mnium audiat sententias. (7.) Ipsemet in rebus arduis consiliis praesens
& adsit (8.) Sententias ordine roget. (9.) Ne nimium refractarius
sit, neque mollis, neque sequax. (10.) Unum tantum adductus & obnoxius
non sit, & praesens aliis magnificat. (11.) Neminem metu poena terreat,
etiamsi consilia ejus male cadant.

28. Deinde dicitur, quod habeant consentiendi decernendi-
que facultatem. Facultas haec non est Privata, sed Publica, & pu-
blica auctoritate summi Magistratus commissa & confirma-
ta: Non est principalis sed instrumentalis, quia consilarii ni-
hil aliud sunt quam Principis summi instrumenta, Ut autem
legitima sint instrumenta, certa in consiliariis necessaria
sunt requisita. Requiritur autem in consiliario [1.] *Aetas.* vo-
cantur enim Senatores, ut igitur senes sint illud necessum
est, nisi velimus senes juvenes hic sistere. Ubi tamen non in-
telligimus decrepitam senectutem, sed justam ad Senatoris
officium aetatem, seu, ut alias loquuntur, senes mente, licet
non semper mento seu aetate. [2.] *Accurata Reipublicae notitia.*
Nosse enim debet Consiliarius ejus potissimum Reipublicae
statum & formam, ad quam regendam ipse a summo Ma-
gistratu electus & praefectus est: hanc enim si ignoraverit,
seu fundamentum omnis consultationis, nulla salutaria
poterit suppeditare consilia. Nosse etiam debet, quos homi-
nes, quas leges, quam libertatem habeat Respublica, & quo
more utatur, quaeve disciplina & consuetudine regatur. [3.]
Exacta in consiliis prudentia. Prudentia oculus est consilarii
unicus: hoc praeterita revolvere & praesentia evolvere tene-
tur, ut de futuris eò veriora & salubriora possit afferre con-
silia. Hoc in casu apud Nepotem Themistocles laudatur: Mul-
tum in judiciis privatis versabatur, saepe in concionem populi prodi-
bat, nulla res major sine eo gerebatur, celeriterque quae opus erant
reperiebat. Neque minus in rebus gerendis promius, quam excogitan-
dis erat, quod & de instantibus (ut ait Thucydies) verissime judi-
cabat

cabat & de futuris callidissime conjiciebat. Illustre hujus rei exemplū statim in sequentibus de ejusdem Themistoclis consilio recenset; Nam cum maximo post hominum memoriam exercitu Xerxes Græciam invaderet, Athenienses miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. Id responsum, quò valeret, cum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis ut in naves se suaq; conferrent. Eum enim significari murum ligneum. Nec eventus consilio fuit contrarius. Plura prudentiæ consultatricis exempla idem recitat Autor de Themistocle, quæ hic sic cò pede transire placeat [4] *Loquendi libertas*. Ea præprimis in consiliariò commendatione est digna. Sæpius enim principes ab adulatoribus decepti, ab affectibus abrepti, noxia tùm sibi, tùm subditis suscipiunt consilia, quæ simulatione sua fallaci consiliarius nequam approbare debet. Unde *Fridericus Imperator* optabat, ut aulici consilarii iudicatum de rebus propositis, duas res ante palatium in vestibulò deponerent, simulationem videlicet & dissimulationem: quod etiam docent prudentissimi *Veneti*, dum ante Curia vestibulum apud S. Marcum privatos affectus deponere jubent. [5.] *Taciturnitas*. Ut enim maxima Consilarii virtus est, intra Senatum loquendi libertas, ita non minore etiam est virtus extra Senatum taciturnitas, cum principum consilia sint occultanda, ne prius ad externos vel etiam hostes perveniant, quam exitum accipiant. Alias hinc virtutes Consiliorum non ponimus, sed potius aliis considerandas relinquimus.

29. *Magistratus sunt Officiales ordinarij ex lege ad gerendas res Reipublica à Majestate summâ constituti. Magistratus vox dicitur à Magistro; hic verò à Magis, viris sapientissimis dicitur habere originem. Sumitur autem vel Abstractè pro ipsò Magistratus officio, vel concretè, pro personâ magistratum gerente. In posteriore significato hoc loco accipitur. Officiales vocantur, quia certis etiam officiis sunt destinati: Ordinarij, cum iis Respublica carere non possit. Causa Efficiens est summa Majestas, quia ab hac omnia in Republica suam habent originem. Forma consistit in*

C. constitu

constitutione, quæ includit partim legitimam vocationem, | partim ordinariam præsentationem, & deniq; autoritativam summi Magistratus confirmationem. Objectum sunt Res Reipublicæ seu Civitatis, ubi itidem vox *Rei* in latissimò significato accipitur, ut & res & personas & actiones includere queat, quia circa hæc omnia Magistratus officium versatur. Finis est Rerum jam dictarum administratio, quia ad res gerendas Magistratus à summa Majestate constituti dicuntur. Medium verò *Legis* vocabulo exprimitur. Non enim ex voluntate, sed ex lege Magistratus inferiores Res Reipublicæ administrare tenentur.

30. Magistratus autem quoad divisionem alius est *Generalis*, alius *specialis*. *Generalis* est, cujus cura in providentia de salute totius Reipublicæ versatur. Varia quidem apud varios Politicos est Magistratum, divisio & pro Rerum publicarum diversitate alia etiam atq; alia est Magistratus constitutio: | satis tamen commodè in *Generalem* & *Specialem* distribuitur. Unde Aomodum Reve. & Excell. Dn. D. Wendelerus p. 698. scribit Magistratum dividimus in *Generalem* & *Specialem*. Quæ divisio à natura Magistratus est desumpta. Natura autem Magistratus consistit in curâ Reipublicæ. Cura hæc vel est *universalis* vel *particularis*. Illa *generalem*, hæc *particularem* constituit Magistratum. *Generalis* autem Magistratus totam curat Rempublicam adeoq; potestatem exercet summæ Majestati vicariam. Tales *generales* Magistratus præ primis in *Oligarchia* & *Democratiâ* sunt necessarij. Ubi tamen hæc observanda cautela, ne nimia armentur potentia, cum hæc prima ad apud seditionem & Reipublicæ mutationem sit via. Exemplum vide *Arnif: in Polit: c. 15. p. 377. 378.*

31. *Specialis* iterum dividitur in *specialem* ratione *Loci* & *ratione Objecti* *Speciales* ratione *loci* Magistratus vocantur, qui in certò locò ad res Reipublicæ gerendas sunt constituti. Tales in civitatibus sunt *Consules*, in *Diocæsibus* *Præsides* & *Præfecti*. Horum enim potestas licet ratione *Objecti* non sit determinata, tamen ratione *loci* omnino est limitata, ut alibi potestatis suæ partes administrare haud queant. Quod autem ratione *Objecti* non habeant ita certam potestatem, patet ex ipsâ experientia, quia

quia & ærario præfunt, ad eorū; Quæstorum hæc in causa officio satisfaciunt: justitiam etiam administrant, adeorū; debitis in causis etiam iudicis partes expediunt. Morum deniq; censuram suscipiunt, & sic censorum munere funguntur

32. *Specialis ratione Objecti* triplex est: Vel enim versatur circa *reditus publicos* & vocatur *Quæstor*, vel circa *justitiam*, & dicitur *Judex*, vel circa *mores*, & nominatur *Censor*. *Quæstor* est *Officialis Ordinarius*, qui publico ærario præest. Vocantur *Quæstores*, à *querendâ* & *conquirendâ pecuniâ* vel aliis redivibus, aliò nomine dicuntur *Cancellarij* vel *Ædiles*. *Officiales* sunt, ergo certo præfunt officio, & quidem eo non suo sed supremi Magistratus funguntur nomine. Unde hujus suæ constitutionis memores potius supremi Magistratus quærunt quam suam utilitatem. Unde publico non privato dicuntur præesse ærario. In his requiritur (1.) *redituum publicorum notitia*. Hi enim publici reditus quæstorum sunt objectum, Objectum autem accuratè est cognoscendum, cum ab eò totum ferè dependeat officium, (2.) *Diligentia*. Quæstores enim appellantur à *querendò*, non à *sed endò*. Sūma igitur diligentia hic opus est, ne ærarium publicum aliquid capiat detrimenti. Ea autem diligentia sit *tempeſtiva*, ut opportunò fiat tempore, ne de quæstorum importunitate subditi querendi habeant occasionem. Sit *modesta*, præsertim erga morigeros, cum modestia erga subditos in quovis officiali sit virtus commendatione dignissima. Sit *moderata*, ne plus justò exigat quæstor. Licet enim Quæstor sit nomine, tamen non omnia subditorum bona conquirere sed certa Magistratus tributa tantum exigere debet. (3.) *Fidelitas*, Hæc virtutum quidem est ultima, quia primum nosse & quærere tributa oportet, fideliter custodire, & fisco inserere: observatione vero sit omnium prima. Publica sunt bona, publico igitur adscribentur ærario, nec ulla sic erit de quæstorum infidelitate & injusta rapina suspicio.

33. *Judex* est *officialis ordinarius*, qui de re aliquâ vel jure suo, vel Magistratus summi autoritate cognoscit & judicat. *Judex* quasi
Juridex

*Juridex à juredicendo habet nomen, & judicium est verum judicis objectum. Ju licis verò requisitalunt (1.) Juris scientia: nana quod quis parum novit, de eò feliciter judicare non potest: Ea autem sit propria, ne alienis saltem cogatur videre oculis (2.) Vita inculpata. Ea enim vitia, quorum ipse judex studiosus est, bona conscientia in aliis nec reprehendere, nec punire potest. (3.) Affectuum absentia. Nihil enim magis justitiæ cursum impedire solet, quam *περὸς ὁμολογία* & affectuum studium. (4.) *Æqualis utriusq; Partis admisi*. Hinc *Plutarchus de Alexandrò M.* refert, quod cum initio in causis capitalibus judicio præsideret, accusatori alteram aurem occluserit, rogatus, cur id faceret, respondit: alteram integram servo reo (5.) *sententiæ diuturna deliberatio: re sententiam præcipitet, cum nihil magis sit judicio contrarium, quam sine judicîo judicialem ferre sententiam.**

34. *Censor est Officialis ordinarius, qui moribus præponitur, ut dirigat, corrigatq; ea quæ legibus definiri non possunt. Censorum Officium olim summò in æstimò est habitum, unde Censores Valerius Maximus Pacis magistros & custodes. Cicero pro Cluentiò Veteris Discipline Magistros eos vocant: hodie verò censorum officium aliis committitur, nec in singulis locis peculiare officiales moribus præficiuntur.*

35. *Extraordinarij Magistratus sunt, quorum officia legibus non sunt definita. Horum non definita datur Varietas, quia in omnibus officiis Extraordinarij possunt constitui. Unde sunt Proreges, Proconsules: item in Academiis Prorectores Prodecani, Procancellarij &c. Sed cum Extraordinarij hi sint, nolumus multa de iis facere verba. Et cum pro ratione instituti de officialibus satis sit dictum, disputationem nostram concludimus,*

Humanis. Dn. Respondenti amico meo.

Ilius eductus rectè sua commoda portat,
 Dum patriam atque domum protegit arte suam.
 Tu meditaris idem summo, Baumannè labore,
 Quem benè correxit cum genetrice pater.
 Hinc patriæ, Torgæ fructus promittimus omnes,
 Spondemus que tuæ commoda mi lle domo.

Michael Wendelerus D. & P. P.


✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







Farbkarte #13

B.I.G.



Dr. JOHANN
usaf
NUM POLI-
UM
XIV
LIBUS
ES Deutschman
Adj:
DENS
ANNUS Torgensis
ctoralis.
ublicè
br.
tinis.
R G Æ.
RORCKARDT.
55-

